

vendam summam ab ipso expensam pro earundem suarum mercium redemptione, textu expresso in cit. l. *Si laborante*, § 3, ibi: « Quod vero prædones abstulerint, eum perdere, cujus fuerit, nec conferendum ei, qui suas merces redemerit. »

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(26. Pertinet huc lex Rhodia de jactu, qua, uti æquissima, Romani usi sunt, et utuntur etiamnum omnes populi, quatenus legibus particularibus non sit ei derogatum.

(27. In specie hac lege cautum est: « Ut si, naufragio imminente, merces, levandæ navis gratia, jactæ sint, reliqui socii periculi, quorum res sunt servatæ, in tributum veniant. » Hoc porro congruit juri naturæ, quod dictat, ut omnium contributione, sarciantur, quod pro omnibus datum est.

(28. Ut autem vectores reliqui teneantur ad contributionem, requiritur: I. Ut jactus sit factus, et quidem ob justum metum naufragii, de consensu majoris saltem partis navigantium. L. 2, princip., et § 2, ff. *Ad leg. Rhod.*, De jact.

(29. Damnum autem, quod culpa existit, ab auctore damni est resarciendum, in subsidium tamen, si naufragii avertendi causa factus est jactus, locum habet contributio, quatenus damnum passi suum ab auctore damni servare nequeunt. Arg. l. 29, § 3, ff. *Ad leg. Aquil.*

(30. II. Ut res jactæ sint amissæ, vel deterioratæ. L. 4, in fin., ff. *Ad leg. Rhod.*, De jact. Si recuperatæ, cessat æquitas contributionis. L. 2, § 7, ff. dict. tit. Imo, si post contributionem jam factam salvæ fuerunt recuperatæ, condici potest quod tributum est. Arg. l. 2, § 1, *De condict. sine causa*.

(31. Manet enim domini res jacta, quia reprobatur est jus occupandi bona naufragorum, ita ut furti teneatur qui tales res haud restituit. Authent. *Navigia*, c. *De furtis*.

(32. III. Ut per jactum navis, res cæterorum vectorum sint servatæ, inde nascitur obligatio ad contributionem quoad omnes res servatas, etiam non multum onerantes navim, imo quoad ipsam navim servatam, non quoad cibaria. L. 2, § 2, ff. *Ad leg. Rhod.*, De jactu. Quod si, facto jactu, nihilominus perierit navis, nulla fit contributio, sed quod quisque servat, hoc sibi servat quasi, ex incendio. L. 5, princip., et l. 7, dict. tit. Cæterum sufficit ad obligationem hac

NAUTICUM FENUS.

SUMMARIUM.

1. Nauticum fenus quid sit, quæque hujus contractus natura; ad n. 12. — 13. Quæ ad hujusmodi contractus validitatem requirantur? — 14. In quot species dividatur; ad num. 15. — 16. Justiniani

(1. Inter contractus, qui aleam continere dicuntur, et in quibus jus ad rem quamcunque non certo existituram cum re certa, vel pecunia permutatur (ut in l. 11, § ult., in

vice navim esse servatam, licet postea alibi submergat. L. 4, § 1, ff. dict. tit.

(33. Concurrentibus hisce, omnes contribuant, quorum interfuit jactum factum fuisse. L. 2, § 2, dict. tit., adeoque etiam assecuratores, dominus navis, et quorum res amissæ. Contributio autem fit secundum proportionem respectivam, ita tamen, ut amissarum, quatenus indicatæ sunt, æstimatio computetur, « quanti emptæ sunt, » servatarum vero quanti « venire possunt. » L. 2, § 4, ff. dict. tit. Alicubi vero mores variant. Confer Loccen., *De jur. maritim.*, lib. II, cap. 8.

(34. Quod autem mirum est, Romani, qui agnoscunt æquitatem contributionis, minime tamen suppeditant formulam agendi, qua damnnum passus directo agere queat, sed contra magistrum navis potius agere jubent ex locato, ut is cum reliquis agat ex conducto. L. 2, princip., ff. dict. tit., eorumque res, donec solverint, retineat. (35. Moribus vero directo agi potest cum conventoribus. Adest enim obligatio perfecta ad contribuendum, quod sufficit, cum ad formulas actionum non simus astricti. Non tamen magister navis vectorum res dimittere debet, priusquam facta sit contributio, alioquin tenetur ipse in solidum. Confer Huber. in *Prælect.*, hoc tit., § 7.

(36. Lex Rhodia de jactu ob simile damnum extenditur. I. Ad res in navi per jactum deteriores redditas. Arg. l. 4, ff. hoc tit. Item repositas in scapham levandæ navis ergo, si perierint in ea. Arg. dict. leg. 4, ff. eod. Quod secus est, quando navis perierit, scapha incolumi. Arg. dict. leg. II. Ad solutionem factam piratis, a quibus navis redempta est; item hostibus pro evitando urbis incendio. Arg. leg. 2, § 3, ff. dict. tit. III. Ad domum publica auctoritate combustam, ut vis hostilis arceretur; læso enim satisfaciendum est ex publico. Arg. leg. 1, ff. dict. tit. IV. Si, incendio urgente, dirutum sit ædificium ad servanda vicina ædificia, quatenus servata eadem sunt, sive certum, sive incertum fuerit, perituram fuisse domum dirutam. Arg. l. 4, § final., ff. dict. tit., modo deficiat alia actio E. G. legis Aquiliæ adversus eum, qui causam culpa sua dedit incendio. (37. In his, similibusque casibus, modo de recepta hujusmodi extensione constet, locum habet imploratio officii judicis. Adi. Lautherbac., *De aquilat. et extension. leg. Rhod.*

leges de maritimis usuris intra certos limites cohibendis, ad num. 20. — 21. Quid de hac re ex temperamento DD. ad num. 22. — 23. An sit usura; ad num. 39. — 40. Quenam contractus huic affines, necne; ad num. 42.

fin., et l. 12, ff. *De act. empt. et vendit.*), commode etiam referri potest nauticum fenus, sive, ut alii dicunt, *mutuum*, vel *credendum marinum*, quemadmodum legitur in

Præfat. Novell. 106. Antiquissima præ cæteris exstant apud Græcos scriptores hujus negotiationis testimonia. Legimus enim apud Polluc., lib. III, c. 9, et lib. VIII, cap. 12. *Ναυτικὴν Συγγράμην* scilicet *nauticam syngrapham*, quæ videlicet de nautico fenore scripta erat. Idem pluribus in locis occurrit apud Demosthenem *Ναυτικὸς ἰργάζεσθαι*, nempe maritimis usuris quæstum facere. Habemus pariter ex Diogene Laertio, Zenonem, et Menippum solitos fuisse *Ναυτικῶ τοῦ δανείζειν*, id est *credere sub nautico fenore*. His omnibus accedit doctissimi Gothofredi testimonium in l. 122, § 1, ff. *De verbor. obligat.*, lit. t., quo confirmatur Græcis revera nauticum hoc fenus cognitum fuisse in eo, quod respicit illas nautici fenoris species, de quibus infra, nempe *Ἐπέρηλοιαι*, vel *Καὶ ἀμφοτέρηλοιαι* videlicet *in itum tantum*, vel *in itum et reditum*.

(2. Juxta varias temporum circumstantias, majoresque, aut minores locorum distantias, modo majores, modo minores exigebantur usuræ, ideonimirum, quia apud ipsos, teste Stypman., *De jur. marit.*, art. 4, c. 2, n. 126, non semper idem fenerandi modus asservabatur. Interdum enim maritimas usuras stipulabantur in octava parte sortis, modo eadem usuræ ipsam sortem æquabant, modo quintam ejusdem sortis partem non excedebant, quæ a Græcis dicitur *Ἐπίπεμπτος*, seu usura epipemptica, cujus exemplum videre est apud Demosthenem *ἐν τῷ πρὸς τὴν Ἀραβοῦδιον παραγραφῶν* in epistola ad Apaturium.

(3. Romani, qui usque ab initio quamplures a Græcis mutuaverant mores, hunc quoque fenerandi modum secuti fuerunt quoad substantiam, accommodantes incidentia majori civium commoditati. Hanc negotiationem apud Romanos revera antiquitus in usu fuisse colligitur ex Livio, *Histor.*, lib. XXXIII, cap. 49: « Ut quæ in naves imposuissent, ab hostium tempestatibus vi publico periculo essent. » Clarius idem affirmat Sueton., in *Claud.*, c. 18: « Negotiatoribus comatus hibernos invecturis certa luera proposuit, suscepto in se damno, si cui quid per tempestates accidisset; » et Cicero, *Epistol. famil.*, 17, lib. II. Hæc proprie de assecuratoribus loquuntur, sed cum vel maxime cambio maritimo affinis sit assecuratio, ita esse nequit, ut Romani perspectum haberent assecurationis contractum eodemque tempore nauticum fenus ignorarent.

(4. Non æque ab omnibus hoc negotiandi genus definitur. Aliis quippe placuit, ut « sit mistum ex contractu mutui, et contractu periculi aversi, directe respiciens pecunias mutuas, et usuram propter usum earum solvendam, in majore tamen quantitate ob conjunctum periculum. » Ita Zecch., *Rigor. moderat. circa usuras*, dissert. 3, cap. 2, sect. 4, *De contract. assecurat.*, § 115, qui in hoc sequitur, Grot., *De jur. bell. et pac.*, lib. II, cap. 12, § 5, in fin. Eundem tamen refellit, vel saltem declarat Henric. Coccei, in ipsius *Comment.* ad dict. § 5, in

fin.: « Fenus nauticum est, quando quis alii credit pecuniam mari transvehendam, ea lege, ut periculum sit penes creditorem; unde differt a mutuo, quia natura mutui in eo consistit, ut periculum sit debitoris, qui dominus est pecuniæ, nec est contractus innominatus *do ut des*, quia proprium nomen huic negotio datum est. Jure naturæ hic unum negotium est, adeoque nulla compositio hic obtinet. Inter paciscentes enim convenit, ut certa pecunia alicui solvatur ea lege, ut reddat eam cum usuris centesimis, si salva fuerit navis. » Quare alii fortasse rectius simpliciorum hujus contractus definitionem tradunt, quod nempe sit « illud, quod ex mutua pecunia trans mare vehenda periculo creditoris ipsi creditori a recipiente solvitur. » Hanc veriorum hujus contractus definitionem esse arbitror, eamque videtur etiam sequi Heinec. in *Pandect.*, part. IV, § 106, vide tamen etiam Samuel Coccei, *De nautic. fenor.*, lib. XXII, tit. 2, quæst. 1, et Voet, in *Pandect.*, eod. tit., in princ.

(5. Nihilominus plerisque forensibus placuit diversam omnino a præcedentibus tradere hujus contractus definitionem. Ita quippe docent: « Cambia maritima trinum continent contractum: primum nempe societatis lucrorum inter dantem et accipientem: alterum venditionis eorumdem lucrorum a commercio maritimo pariendorum ac tertium susceptionis periculi. » Per., in *Tractat. de negotiat.* Italice scripto, part. III, cap. 10, vers. *Ridicolo dunque*, et vers. *All' incontro*; Targa, *Ponderat. maritim.*, cap. 32, n. 13 et seq.; Casareg., *De commerc. et consulat. maris*, tom. I, dis. 14, sub n. 4, § *Nostrates*, et tom. II, disc. 62, n. 1. Super his, nostra servata methode, propositam non pigeat expendere definitionem. Primo sane non satis liquet cur in nautico fenore tres enuntiatii contractus debeant induci.

(6. Nauticum quippe fenus, ut recte advertit Cocceius *loc. sup. cit.*, est contractus nominatus, suasque peculiarias habet leges, quibus nititur, quin ipsius validitatem et existentiam ab aliis multiplicibus contractibus suscipiat. Ut in nautico fenore tres isti contractus inducantur, ad præsumptiones, et conjecturas confugiendum est. Porro contractus societatis a quacunque abhorret præsumptione, adeo ut, nisi evidentissime probetur, nunquam inesse censetur, ut de societate fenus probatum est. Præterea, si natura enuntiatorum contractuum expendatur, manifestum erit, non separatos esse contractus, sed unicum contractum societatis, « Societas quippe est contractus qui ex consensu duorum, pluriumve communionem inducit inter eos: vel communio pro indiviso consensu contracta; vel communionis consensus inter aliquos: vel damni et lucri ex consensu facta communicatio honesta et justa. » Ita Cujacius in *Paratit. Digestorum*, lib. XVII, tit. 2, lit. C., et Voet., in *Pandect.*, lib. XVII, tit. 2, n. 1. Vel igitur nullum societatem inter et nauticum fenus constitui discrimen debet, vel, si nomine et qualitatibus distinguendum est a societate nauticum

fenus, frustra in hoc posteriori contractu inseritur societas, quæ omnes suapte natura complectitur contractus, qui in solo nautico fenore admittuntur. Etenim si societas secum fert ut commune sit lucrum et damnum, inutilis remanet distinctio contractus societatis, et contractus emptionis, venditionis lucrorum, cum certi determinati lucri conventio respectu dantis pecuniam respiciat potius modificationem et restrictionem contractus societatis, quam novum emptionis venditionis contractum. In societate non prohibentur contrahentes pacisci certum lucrum et damnum, quod quamvis in ea certum non sit, eo quia versetur ex. gr. in tertia parte lucri percipienda, in tertia parte damni avertenda, quæ tertiæ partes modo majores, modo minores ex diversis circumstantiis fiunt, licet ex natura societatis æquale esse deberet lucrum et damnum, spectata quantitate pecuniæ, vel mercis, aut operarum, quæ in societatem conferuntur; ita in cambio maritimo hæc vaga lucri, et damni communicatio ad certam determinatamque quantitatem cohibetur, quod societatis naturam non mutat, sed eo maxime eadem modificat, vel restringit. Non desunt contractus, qui nonnulla cum aliis contractibus communia habent; nemo tamen dixerit in illis plures immisceri contractus. Nundinalia cambia in eo pariter versantur, ut inter contrahentes dividantur lucra, et, loco incerti lucri, in illis certæ et determinatæ usuræ favore creditoris conveniuntur, quin in his quoque inducantur contractus societatis et emptionis venditionis lucri. Idem quoque affirmari posset de contracta locationis prædiorum rusticorum, in quo plurimum communicantur lucra et damna, sed, loco incerti lucri, annua convenitur pensio, nec tamen in hoc quis societatem admisit. Suas igitur unusquisque retineat nomina et qualitates, quin alter cum altero absque necessitate confundatur. Quid vero de tertio contractu dicendum, quod pariter a forensibus nautico fenori adnectitur, de contractu nempe assecurationis? Vel sermo est de vera et propria assecuratione, et hæc quidem nihil confert ad perfectionem contractus nautici fenoris, ut infra breviter attingemus. Vel intelligitur pactum avertendi periculi, quod creditor suscipit, et hoc casu hujusmodi pactum ad instar separati contractus nequit considerari, sed ipsa societas. Dum enim quis de damno et lucro communicando convenit, idem est ac si conveniat de avertendo damno; non potest enim ex se damnum communicari, nisi vel tacite, vel expresse, vel ex natura contractus periculum suscipiat, ideoque de damno avertendo paciscatur. Quin imo si creditor, vel socius, qui tradidit pecuniam, vel mercem, ita caveat, ut totum damnum ad debitorem pertineat, nullumque lucrum sentiat, injustum ac illicitum hujusmodi pactum reputatur, eo usque, ut, si conveniatur, ut, integra restituta sorte, lucra tantum dividantur, talis conventio non sustineatur, ut late probat Molin., *De*

contract., disput. 416, n. 1 et seq. Profecto pactum avertendi periculi eandem esse societatem, non vero contractum maistum, docet, contra Grotium, Cocceius in suis *Comment.*, lib. II, cap. 11, § 24, verb. *Fiet enim mistus*. « Imo unum hic est negotium, scilicet societas, ad cujus essentiam sufficit communicatio lucri, id est ejus, quod superest, deducto damno. »

(7. His contractibus sicuti diversum nomen, ita et diversæ qualitates tribuæ sunt. Societas morte unius socii dissolvitur; nauticum vero fenus nequaquam, nisi prius navis appulerit ad portum, ad quem ex conventionem debuit appellere. Aliud igitur est, quod aliquam similitudinem habeat cum societate, aliud vero, et longe diversum, quod ad ipsius essentiam in eodem concurrat. Profecto utrumque contractum a veteribus Romanis accepimus cum iisdem legibus et qualitatibus. Porro societas ab initio, in qua alter contrahentium pecuniam, alter operam poneret, non ab omnibus jurisconsultis admissa erat, ut recte ex Diocletiani et Maximiani constitutione in l. 1 Cod. *Pro socio*, colligit Schultingius, *Jurisp. vet. ante Justin. ad Gaii Instit.*, lib. II, cap. 9, n. 95. Si enim super hujus societatis natura nulla excidisset inter illos controversia, non eundem laudati imperatores asseruissent loco citato. « Societatem uno pecuniam conferente, alio operam, posse contrahi, magis obtinuit. » Sed de hoc amplius post Justinianum non ambigitur. Verum, si admitti debet, a societate partem nautici fenoris contractus fuisse ab initio constitutam, affirmari quoque oporteret, antea nauticum quoque fenus contrahi non potuisse, nisi unusquisque contrahentium tum operam, tum pecuniam contulisset, quod tamen falsum est. Ita enim nauticum fenus comparatum fuit, ut alter operam, alter vero pecuniam pecuniæque periculum conferret. Imo ex hoc deduci posse arbitror, ideo nauticum fenus inventum fuisse, quia societas cum hoc non poterat conciliari. Cum antiquitus in usu esset societas, nil opus erat, ut novus, mutato tantum nomine, societatis contractus inveniretur, si natura societatis nautico fenori non repugnabat. Sicuti vero a societate proprie dicta alienum esse arbitrantur jurisconsulti contractum, in quo alter pecuniam, alter operam conferebat, hujusmodi contractum cum legibus societatis metiri nonnulli saltem recusabant, ita compertum fit, etiam tunc distinctum a societate ipsos voluisse nauticum fenus, quod non modo in hoc, sed etiam in aliis qualitatibus dissimile a societate videtur. Quare, ubi quæstio erat de hujusmodi contractibus, non abs re est, veteres jurisconsultos censuisse, ad instar nautici fenoris potius ipsos contractus esse reputandos, quam ad instar societatis, ideoque leges nautici fenoris, non societatis servandas. Ad summum, si cum nautico fenore societas convenisset, distinctissimum tantummodo societatem in genere, et societatem navalem, de qua fit mentio a Grot., *De jur. bell. et pac.*,

lib. II, cap. 12, § 25, ibique Cocceius. Sunt quidem contractus complicati, sed nihil commune habent cum nautico fenore, ut fusius infra demonstrabimus, ubi de trino contractu sermo erit. Quidquid tamen sit de hujus forensis doctrinæ veritate, si quis ipsius sectatores, plerosque saltem adire velit, consulat Rot., cor. Olivat., decis. 457, num. 23 et 49, et decis. 534, n. 33, in *Romana Societatis* 4 Junii 1744, cor. Bussio, § 3.

(8. Sit itaque firmum et immotumque nauticum fenus natura sua esse contractum a societate distinctum, nec ad propriam essentiam eadem societate indigere. Quare non temere hoc definiendum opinamur, quod « sit legitima et justa pecuniæ, vel mercis periculo creditoris trans mare vehendæ accessio præmium suscepti periculi, creditoris debita juxta modum a contrahentium pacto ad juris tramites præfinitum. » Dicimus legitima et justa, quia neque civili neque naturali juri ipsius perceptio repugnat. Ad idem in præmium suscepti periculi, quia non alia de causa hæc accessio debet admitti, nisi propter periculum a creditore susceptum. Hinc, si contingeret ut quis pecuniam crederet trans mare vehendam ad portum, ad quem jam salva navis, ipso sciente, pervenerat, nulla poterit conveniri pecuniæ creditæ accessio. Ideo enim debitor convenit de accessione, quia in maritimo itinere potest naufragio navis perire, atque ita pecunia sibi credita damno cedere creditoris; propterea, hoc remoto periculo, cessat causa finalis contractus, et conventæ accessionis, ut mirifice idem Grot., *loc. sup. cit.*, § 23. « Contractus omnino nullus erit, si contrahentium alter rem, de qua agitur aut salvam, quo destinabatur, pervenisse, aut perisse sciverit, quia propria materia hujus contractus est damnum sub ratione incerti. » Et elarius ibidem Coccei. in *Comment.*, verb. *Omnino nullus*: « Solvitur enim pecunia hæc pro periculo; non autem est periculum, si navis jam in portum delata et salva est. Dolose igitur stipulatur tales usuras, qui scit, periculum non esse. » Cave autem credas, quodlibet periculum cedere creditoris detrimento debere, sed illud tantum, quod a periculo maris et dubio rerum eventum proficiscitur. Sed si « per vitium debitoris, nec quidem loco navigii servato, illicitis comparatis mercibus, ea, quæ navis continebat, fiseum occupasse contingat, amissarum mercium detrimentum, quod non ex marinæ tempestatis discrimine, sed ex præcipiti avaritia et incivili debitoris audacia accidisse adseveratur, adscribi tibi juris publici ratio non permittit. » Ita imperatores Diocletianus et Maximianus rescripserunt in l. 3 Cod. hoc tit.

(9. Locum navigii non fuisse servatum tunc dicitur, cum magister navis a suscepto itinere adeo divertit, ut in aliam proficiscatur provinciam ab ea prorsus diversam, quam petiturus pacto promiserat, si modo pactum intercessit. L. unie., cod. *De littor. et itiner. custod.*; Strychius, *De cautel. de*

jur. marit., part. 4, cap. 7, n. 360; Rot. Januen., *De mercat.*, decis. 25, et decis. 63, utrobique præsertim n. 4; Rot., cor. Olivatio, decis. 457, n. 12, 15, et decis. 534, n. 28. Servatum vero navigii locum dicitur, dum, retento proposito progrediendi ad metam, in aliquo portu consideat, qui forte in itinere occurrat, ibique merces exoneret, permutet, aut vendat, ut distinguendo tenet Casareg., *De commerc.*, disc. 1, n. 129 et seq., et disc. 67, n. 24 et 25; Targa, *De ponderat. maritim.*, cap. 52, n. 13 et seq.; Strach., *De assecurat.*, gloss. 14, n. 5; Rot., apud Balduc, lit. *De assecurat.*, decis. 8, n. 17, post Albic., *De inconst. in judic.*, decis. 64, n. 17, in recent. part. XIV, decis. 54, n. 17, decis. 120, n. 2 et 3, cor. Olivat., decis. 457, n. 13 et 14, præsertim si pactum *di toccare tutte le scale* favore nauclerii accedat, dicta dec. 457, n. 16, et decis. 534, n. 29 cor. Olivat. Nec refert, quod necessitate adactus nauclerius ad portum appulerit, vel tantum ex arbitrio. Cum navium magistris hæc consistendi facultas competat, satis est, portus, in quibus detinetur, infra lineam reperiri, ad hoc, ut quodlibet infortunium propter hanc moram contingens ipsius nauclerii vitio non vertatur, sed creditoris damno adscribatur. Neque hæc ipis minuitur facultas ex pacto in certis tantummodo locis consistendi, quia hujusmodi facultas nullo potest contrahentium pacto cohiberi l. 1, cod. *De nautic. fenore*; Targa, *Ponderat. maritim.*, cap. 32, n. 13, 14; Casareg., *De commerc.*, tom. I, disc. 1, n. 129, 132; et disc. 14, sub n. 4, et tom. II, disc. 62, n. 1, 2; Coccei., ad Grot., *De jur. bell. et pac.*, lib. II, cap. 12, ad § 23, vers. *Fieri autem*; Rot., cor. Olivat., dec. 457, n. 17, 18, 19, 28, 29.

(10. Diximus pecuniæ, vel mercis accessio. Quamvis enim in dubium nequeat verti, quin ad probandum cambium maritimum sola receptæ pecuniæ confessio exuberet, Targa, *Ponderat. maritim.*, cap. 33, n. 19, et Rot., *loc. cit.*, n. 39: nihilominus non semper requiritur, ut in nautici fenoris contractu de pecunia numerata constet. Potest enim in mercibus versari, dummodo creditoris periculo ipsæ quoque merces trans mare vehantur. Casareg., *De commerc.*, disc. 63, numer. 1 et seq., disc. 73, n. 3 et seq.; Rot. cor. Olivat., decis. 457, n. 39, et a n. 41 ad n. 44, dec. 534, n. 9, cor. eod.; dec. 346, n. 6, seq., et decis. 328, n. 3, cor. Caprara et in *Mantiss.*, ad card. de Luca, lib. VIII, *De credit.*, decis. 8, n. 9; *Senogallien. cambii* 5, Julii 1756, § 4, cor. Borull. Hoc tamen in cambiis maritimis speciale arbitror esse. Cum enim res sit inter mercatores, inter quos juxta apices juris non proceditur, nimis legum subtilitates vitandæ sunt, a quibus publici commercii favor et mercatorum fides abhorret. Santern., *De assecurat.*, part. II, n. 22, et part. III, n. 1 et seq.; Giballin., *De univers. rer. human. negotiat.*, l. IV, cap. 11, art. 2, n. 3; Thesaur., quæst. 77, n. 10, card. de Luc., *De credit.*, disc. 23, n. 7, 8, dis. 109, n. 6;

Ansald., *De commerc.*, disc. 7, n. 7; Casareg., dis. 1, n. 4, 5; *De comitib.*, *Decis. Florent.* 22, part. II; Rot., cor. Gregor., decis. 126, n. 3, in recent. decis. 47, n. 3, 4, part. VII, cor. Olivat., dec. 457, n. 9, 10, et dec. 534, n. 31.

(11. Quanquam nec desunt, qui hoc idem asserunt etiam in cambiis nundinalibus, ut præ cæteris card. de Luc., *De camb.*, dis. 3, n. 4, et disc. 7, n. 7; Urceol., *Decis. Florent.* 44, n. 7; Rot., cor. Molines, decis. 545, n. 17, et seq., cor. Lancet, dec. 1007, n. 11, in *Eugubina Cambiorum sup. reservat.* 7 Julii 1751, § 2, cor. Elephantutio, et in *Senogallien. Cambii* 5 Julii 1759, § 3, cor. Borull. Hæc tamen sententia non modo quamplures habet contradictores, sed insuper ipsis Pontificiis constitutionibus adversatur, ut supra notavimus litt. C, v. CAMBIUM, artic. 2, n. 16, et plur. seq., eamque ideo neque in agendo, neque in iudicando sequerentur. Alia enim, et longe potior ratio in fenore nautico occurrit, quia accessio etiam mereis licet per se infructuosæ, permittitur. In hoc enim nulla alia de causa permittitur usura, nisi quia creditor maris periculum suscipit, ideoque potius periculi pretium, quam usura meretur appellari in l. 3, ff. *De nautico fenor. princ.*, et remoto periculo, non debetur usura l. 4, ff. eod. Contra vero in cambiis nundinalibus est accessio pecuniæ, quæ parere fructus per se apta non est. Loquor tamen de cambiis, quæ nundinalia finguntur inter privatas personas mercaturam non exercentes. Quod in cambiis maritimis debeatur accessio, quæ loco præmii succedat ob susceptum periculum, rationi et æquitati consonum est, ut in aliis cambiis, in quibus ut plurimum nullum creditori imminet periculum, cum nullum in se suscipiat periculum, et suam creditor in vim hypothecæ rem salvam faciat, nullo jure potest accessiones consequi, nisi ob usum pecuniæ debitori concessum. Ab usu autem simplici pecuniæ accessiones non posse consequi, tum sacre litteræ, tum canonica jura passim monent, ideoque usuræ, quæ in cambiis maritimis permittuntur, nequeunt in nundinalibus improprie dictis permitti, licet in longe minori summa conveniantur, cum usurarum natura a majori, vel minori quantitate nequeat metiri, sed, si ex pecunia posteriori casu non debetur usura, multo rectius eadem debet denegari, ubi loco pecuniæ succedunt merces.

Non denique casu posteriora definitionis verba apposuimus debita juxta modum a contrahentium pacto ad tramites juris præfinitum. Nam licet in jure permessa sit hæc accessionis conventio, non tamen illimitata est, a sola creditorum avaritia dependens. Quapropter modo major, modo minor conveneri potest accessio, sed modum a jure præscriptum prætergredi non debet, ideo dicitur pacto ad tramites juris præstitutum. In statuendis usuris jus civile prospexit maximo periculo, quod interdum subire cogitur creditor ob longas navigationes,

relicta tamen contrahentibus facultate modo augendi, modo minuendi accessiones, spectato majori, vel minori periculo, dummodo semper inter limites a jure præscriptos contineantur. Quinam autem sint hujusmodi limites, suo loco videbimus.

(13. Ex hæcenus dictis, sive superius allatas definitiones sequi velimus, sive eam, quam nos ipsi ultimo loco proposuimus, certum est, ad nautici fenoris contractus validitatem omnino requiri, ut duo præsertim eodem contextu concurrant, quorum utrumque creditoris respicit personam, relicto debitori onere tantum navigandi. Ex his alterum in eo versatur, ut revera tradatur pecunia trans mare vehenda, et vere, et non simulate trans mare vehatur. Alterum vero respicit periculum ejusdem transvehendæ, quod ipse creditor cogitur suscipere. Stypman., *De jur. naut. et marit.*, part. IV, cap. 3, sub n. 4 et seq. Cum enim hoc casu ideo usurarum conventio, perceptio, et retentio permittatur, quia plena periculis est navigatio, propterea opus est ut pecunia revera trans mare vehenda sit, ut verificari possit periculum. Debet vero a creditore suscipi, quia, existente periculo, si periculi damnus debitoris incommodo cedere deberet, jam tradita pecunia in dominium transiret debitoris, atque ita potius versaremur in contractu mutui, quam cambii maritimi. Quare cum in mutuo nequeant usuræ in pactum deduci, neque in cambio maritimo possent pacisci, si periculi damnus ad debitorem pertineret. Nec ulla profecto occurrit ratio, ob quam debeat præmium, nullo existente periculo concedi creditori; ideoque ut illud jure possit retinere, concurrat oportet navigationis periculum, utque creditor illud suscipiat. Hinc non immerito in lege Rhodia, *De jactu*, statutum legitimus, cambium maritimum corruere, si alterutrum ex his requisitis deficiat. Hæc præcipua sunt cambii maritimi: sed aliud etiam requiritur, quod commune est cum aliis quoque contractibus. Etenim in nautico fenore, ut in cæteris contractibus, ea debet servari æqualitas, quæ tum suscepto damni periculo, tum traditæ pecuniæ conveniat. Licite quidem conveniri possunt usuræ, sed si periculum damni, quod alter in se suscipit, æstimabilius sit, quam pretium certum ab altero persolutum, et vice versa, stricto quidem jure validus erit contractus, sed tamen re ipsa injustus, non ex natura ipsius contractus, sed ex inæqualitate. Ita etiam in contractu emptionis, venditionis, locationis, permutationis et similibus, in quibus vel res æstimabilior pretio, vel pretium æstimabilius ipsa re concurrat, contractus illico corrumpitur ex capite læsionis, ideoque non ex natura contractus, qui licitus est, sed ob non servatam æqualitatem. Zecch., *Rigor moderat. doctrin. Pontificia circa usuras*, dissert. 3, cap. 2, sect. 4, *De contract. assicurat.*, § 118; Lampred., *Jus public. univers.*, part. I, cap. 1, *De act. benefic.*, § 24, in fin. vers. *Quam-*

(14. Hoc nauticum fenus in duas dividitur species. Altera cum debitor sortis, et usurarum solutionem in id tempus differt, quo, navigatione confecta, navis salva portum intraverit. Altera vero cum certi præfinitur dies, intra quos, si navis salva portum subierit, pecuniæ trajectitiæ petitio competit creditori, secus vero suum amittit, si navis fuerit amissa. De hac diei præfinitione habetur mentio in l. 4, l. 6, ff. hoc tit., et in novell. 106. Verum cum non semper pecunia trajectitia acciperetur, et respective traderetur in utramque navigationis partem, quam navis perficere poterat eundo et redeundo ad eundem portum, sed modo in alteram partem, modo in utramque, hinc prima nautici fenoris species dupliciter subdividitur. Vel tradebatur pecunia ad certum portum transvehenda simpliciter et vocabatur nauticum fenus *in itum*; aut tradebatur ad certum portum vehenda, sed iterum ad eundem portum reportanda, a quæ profecta navis erat, et tunc fenus vocabatur *in itum et reditum*. Prima species defini potest: « illud a creditore susceptum pecuniæ trajectitiæ periculum, quod navis subire poterat, donec hunc, vel illum portum attingisset l. 3, cod. *De nautic. fenor.* » Altera vero in eo versabatur periculo, quod creditor suscipiebat, donec navis portum, ex quo profecta foret, rursus appelleret, et sic itus et reditus, l. 1, cod. eod. Si quis tamen de utraque nautici fenoris specie curiosius velit inquirere, adeat Stypman., *De jur. nautic. et marit.*, part. IV, cap. 2, n. 3, cum plur. seq. Quas etiam species leviter attingit Gerard. Nood., lib. II, cap. 7, *De nautic. fenor.*, in princ.

(15. Eos nauticum fenus limites in conveniendis, et percipiendis maritimis usuris non cognovit apud Romanos, inter quos a Græcorum legibus, vel consuetudine coerceretur, sed a trajectitiæ pecunia propter periculum creditoris, quando navigat navis, infinitas usuras capere potest, » ut testatur Paulus, *Recept. sentent.*, lib. II, tit. *De usuris*, et late observat Duaren., *Disput.*, lib. II, cap. 3, tom. IV. Huic illimitatæ usurarum licentiæ in maritimis negotiationibus nulla lex, nullusque modus usque ad Justiniani tempora præfinitus fuit, quidquid autem nonnulli innixi auctoritati textus in l. 4, § 1, ff. *De nautico fenor.*, et l. 26, § 1, ff. *De conduct. indebit.* In lege quidem primo loco citata usuræ centesimæ fit mentio a Papiniano, sed ea verba non ex Papiniani sententia esse, sed potius a Triboniano addita, ut Justinianæ juri jus antiquum accommodaret, tenet in commentariis ad hanc legem Cujacius, et post eum Scultingius *Jurisprud. vetus Ante Justinianæ ad Paul. Recept. sentent.*, lib. II, cap. 14, § 3, not. 11. Centesima usura incognita quidem Romanis non fuit etiam ante Justinianum, sed ibi de usuris terrestribus, et nundinalibus agebatur, de quibus loquitur lex 26, § 1, ff. *De conduct. indebit.*, prohibens hu-

jusmodi usurarum conventionem ultra duplum. Nec est credendum a Paulo dissen- sisse Papinianum quoad usuras maritimas; æquales enim fuerunt, et uterque, imperantibus Severo et Caracalla, floruit, a quibus æque uterque honoribus et dignitatibus amplius auctus fuit, ut colligitur ex l. ult. ff. *De jur. fisci*; l. 79, ff. *De acquir. hæred.*, l. 38, ff. *De minor.* Imo Paulum inter Papiniani assessores fuisse constat. ex l. 40, *De reb. dub.* Omnem denique adimit difficultatem rescriptum Diocletiani et Maximiani in l. 1, cod. *De nautic. fenor.* et distinctio, quæ legitur in eodem Paulo, *loc. sup. cit.*, § 2 et 4. « Usuræ supra centesimam solutæ sortem minuunt, consumpta sorte repeti possunt. Usuræ, quæ centesimam excedunt, per errorem solutæ repeti possunt. » Cur vero idem nullis circumscribendas limitibus censuit maritimas usuras, ubi de his sermonem habuit? Nulla profecto alia ratio, nisi quia illis temporibus obtinebat, ut usuræ communes ultra centesimam in stipulatum deduci non possent, et si per errorem solverentur, possent repeti. Sed de his fusius Chr. ab Ilag., cap. 5, num. 15; Duaren., *Oper.* tom. IV, *Disput.* lib. II, cap. 3.

(16. Inter Romanos legislatores novissimus depique Justinianus marit. quoque usuras inter certos limites cohibuit, jussitque ut « in trajectitiis contractibus... usque ad centesimam tantummodo liceret stipulari, nec eam excederet, licet veteribus hoc esset concessum. L. *Eos qui*, § *In trajectitiis* 26, Cod. *De usur.* Hæc autem centesima usura erat « cum duodecim aurei post annum ob centenos dantur, propterea quod ex centum singulis mensibus unus datur, qui, si ad universa centum respexeris, centesimus est, jure igitur centesima ea usura dicitur; » quemadmodum explicat Harmenopol., *Epitom.*, lib. III, tit. 7, et ulterius consuli possunt Joan. Frid. Gronovius, *De pecun. veter.* lib. III, cap. 13, et *De centes. usur.*; Gerard. Nood., *De fenor. et usur.*, lib. XI, cap. 3 et 4; Duaren., *loc. sup. cit.* Inde liquet quod ubi in Justinianæis libris occurrit usura centesima, intelligendum est de uno numero singulis mensibus pro centum nummis persolvendo, usque dum centum menses laborerentur, quibus peractis, usurarum cursus desinebat, cum jam impleta esset centesima, et quod ulterius solvebatur, in sortem imputabatur. L. 26, § 1, d. *De conduct. indebit.* Et hoc inde profectum est, quod vetus apud Romanos contrahendi modus ferebat, ut usuræ convenirentur non in singulos annos, sed in singulos menses; quo fit ut in nonnullis legibus non usura centesima legatur, sed mensuræ nummi. L. 40, ff. *De reb. cred.*, et hæc erat usura centesima. Heinec. in *Pandect.*, part. IV., § 93, in not. Apud nos hæc usura æquipollet 12. pro centum, quam etiam circa tempora Justiniani in usu fuisse ex eo maxime colligitur, quod in concilio Tarracconensi centesimæ usuræ reiterata fuit clericis prohibitio, ut videre est in cap. 4,